



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Compendium Privilegiorum, Et Gratiarum Societatis Jesu

Pragae, Anno M.DCC.III.

VD18 13723553

Præfatio.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-65423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65423)



PRÆFATIO.



*U*m Societas Nostra
Dei benignitate, ac Sum-
morum Pontificum libe-
ralitate, satis instru-
ta & ornata sit multis ac magnis gra-
tuis facultatibus, tam peculiariter ipsi
concessis, quàm etiam aliis, quarum per
Apostolicam communicationem amplif-
sima accessio eidem facta est; opera pre-
tium fore iudicavimus, quæ precipue,
nostroque usui magis accommodata sunt,
in compendium redigerentur. Quo-
niam verò juxta litteras Apostolicas,
nullius privilegii, seu gratiæ hæcenus
concessæ, vel in posterum concedendæ
usus potest in Societate licitus esse, nisi
per solius Præpositi Generalis communi-
cationem; idcirco suis in locis annota-
tum est, quanam gratiæ, quibus, ac qua-
tenus concessæ, aut limitata, vel etiam
reservata sint. Ubi verò nihil horum
adscriptum fuerit, hoc ipso constare de-
bet,




bet, gratias huiusmodi, sicut sonant, concessas esse. Caterum necessarium est, ut modus gratis utendi, qui in plerisque communicationibus praescriptus est, diligentissime ab omnibus observetur. Porro nullis aliis gratis & privilegiis, quacumque etiam communicatione Societati nostra illa competant, quae in hoc Compendio comprehensa non sint, ullumquam uti licebit. ~~Si~~ ~~amen~~ ~~Procur~~ ~~ator~~ ~~us~~ ~~alicubi~~ ~~necessarius~~ fuerit, is a Praeposito Generali intrandus erit: aut si periculum in mora esset, censeatur Provincialibus & Visitatoribus, eodumtaxat in casu, communicatus, dummodo Societatis Instituto non repugnet: qui nihilominus Praepositum Generalem de huiusmodi usu, eiusque causa, quamprimum poterunt, certiozem reddere tenebuntur: quae facultas, in simili mora periculo, communicatur etiam Praepositis, & Rectoribus localibus: qui pariter jubentur eundem Praepositum Generalem, & Provincialez etiam, vel Visitatorem, de usurpato Privilegio ad-

men-



monere. Denique nomine Provincialium, Præpositorum, & Rectorum, quorum non rarò in Compendio fit mentio, subintelligendi quoque sunt Vice-Provinciales, Vice-Præpositi, ac Vice-Rectores, quando nimirum nullus est Provincialis, Præpositus, aut Rector, vel adeò longè abest, ut pro rei exigentia consuli non satis commodè possit: qui omnes etiã nomine Superiorum in hoc Compendio significatur. Nam reliquis Residentiarum, & Missionũ Superioribus, eorũ Superiores, à quibus vel mittuntur, vel sub quorũ cura & directione vivunt, eas ex sibi concessis facultates, juxta Constitutiones, communicare poterunt, quas pro ratione locorum, temporum, & personarum, communicandas judicabunt. De omnibus verò hujus Compendii facultatibus illud in universum intelligatur, ut quemadmodum ad Superiores pertinet suis subditis facultates communicare, vel communicatis, aut concessis etiam aliunde, & à quovis, etiam à Præposito Generali, vel à Summo Pon-



tifice, utendi potestatem facere; ita eorumdem fore, illarum eis usum, cum expedire judicaverint, vel limitare, vel etiam omnino suspendere. Et quoniam in hoc Compendio saepenumero fit mentio de Professis, tum Societatis, tum aliorum Ordinū, advertendum est juxta diversa Societatis privilegia, quidquid de illis dicitur, intelligi etiam debere de Nostris, qui tria vota simplicia post biennium emiserint; nisi forte aliqua aliquo loco excipiat.

Ceterum hanc novam Compendii editionem jam pridem necessariam fecerat Viva Vocis Oraculorum Revocatio, edita à Gregorio XV. Bulla datâ 24. July 1622. Incipit: Romanus Pontifex: est 27. in Bull. comm. Quam Urbanus VIII. confirmavit, & extendit ad Oracula, S. R. E. Cardinalium manu firmata, Bulla datâ 20. Decemb. 1631. Incipit: Aliàs felicis: est 157. in Bullario communi. Pleraque igitur Privilegia, que hujusmodi Oraculis innitebantur, iis subductis, conciderant.




derant. Sed quoniam non pauca Pri-
vilegia in Nostro Compendio apparebant
V.V.O. concessa, quæ Litteris Aposto-
licis munita deprehensa sunt; aliæque
etiam, nullo satis certo fundamento in-
dicato, proferebantur: quoad ejus fie-
ri potuit, adlaboratum est, ut in nova
hac editione:

1. Constet, quæ Privilegia Solo *Vive*
Vocis Oraculo nitantur.

2. Non desiderarentur *Litterarum*
Apostolicarum citationes exactissima,
quando illarum beneficio obtenta sunt.

3. Ut non Concilii modo Tridentini
(quod olim præstitum) sed Pontifici-
arum Constitutionum Decreta derogato-
ria suis quæque locis indicarentur.

4. Ut predictorum omnium Docu-
mentorum allegationes, referrentur ad
maximè notos Libros, quales: Bullari-
um commune Laërtii Cherubini, Bulla-
rium Regularium Emmanuelis Rode-
ricii, Compendium Minorum Hierony-
mi à Sorbo, Bullarium Societatis parti-
culare, insertum Nostro Instituto, cita-



tis ejus paginis. In horum librorum locum adducuntur Compendia aliarum Religionum, & Tabularium Societatis Romanum, cujus erit nota M. S.

Notum etiam sit, non omissa fuisse in hoc Compendio Privilegia revocata, tum ut concessionis, & beneficii memoria exstaret; tum etiam, ut, si aliquando ad Jus pristinum redire licuerit, omnibus constare possit, qua fuerint ejusmodi Privilegia.

Observandum praeterea, in presenti Compendio Privilegiorum, dum Bullarium Societatis citatur, numerum paginarum notatum esse secundum recentissimam editionem Pragensem.



AB-